DE ROMANA SANCTI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS CATHEDRA


ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA
AD SANCTISSIMUM D. N.
BENEDICTUM XIV.
PONT. MAX.

AB EMMANUELE FILINGERI
PANORMITANO.



ROMÆ. Excudebat ANTONIUS DE ROSSI. MDCCXLI.
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

EMMANUEL FILINGERI

SALUTEM, AC FELICITATEM.



Uod diu, multumque in votis habui vel a prima quoque adolescentia, posse me quidquam in hac alma Urbe totius Mundi Domina, quod ab aliis factum esse, frequenter publicis rerum gestarum paginis lectitabam, mediocri saltem cum laude aliquando facere: sentio id mihi tandem ex sententia nunc accidisse. Quid enim optatius mihi

A 2 *esse*

esse poterat, quam præclaro, sollemnique die maxima totius Ecclesiæ *gloria, ac jucunditate celebrato sermonem habere? Quid dulcius, quam de excelsis nostræ Romanæ Ecclesiæ dotibus, ejusdemque Sedis dignitate differere? Quid denique gloriosius, quam coram Summo Pontifice omni literarum, ac virtutum genere cumulatissimo verba facere? En igitur impositum onus alacriter suscipio, susceptumque ad te dirigo*, Beatissime Pater. *Tu ex alto supremæ dignitatis tuæ fastigio, ac inter tot, tantaque maximarum rerum negotia, gravissimasque regendæ Ecclesiæ universæ curas illud respicere, ac excipere ne asperneris. Pro certo enim habe, posse Te oratiunculam hanc libenter perlegere. Nam quum mihi compertum esset, inter ceteras Tuas Virtutes singularem, ac præstantissimam illam esse, Te ab omni prorsus laude abhorrere; nihil propterea eximiæ huic Modestiæ Tuæ vel repugnans conscripsi, vel palam recitavi. Tota autem est de Apostolica Beati Petri Cathedra, ejusdemque dotibus oratio. At quis non viderit, quum a laudibus Tuis abstinui, ac de re proposita tantummodo verba feci, tum vel maxime, quam-*

vis

vis tacito, perfectiori tamen modo eas descripsisse, ac uberrime prædicasse. Quomodo enim fieri potest, ut gloriosæ nostræ Romanæ Sedis dignitas, ac amplitudo commendentur, quin omnes Virtutes Tuæ, mirabilisque Doctrina, quarum opera illum in locum, atque in hanc ipsam celsissimam Sedem dignitatis, atque honoris ascendisti, iisdem etiam laudibus non comprehendantur? Mira Ingenii Tui vis, atque acumen, maximum Ecclesiasticæ disciplinæ studium, excellens sacrarum literarum eruditio, incredibilis Civilium, atque Canonicarum legum peritia, sancta vivendi ratio, summa in Deum pietas, difficilis divitiarum contemtus, singularis erga omnes humanitas, magna tandem comitas, affabilitasque sermonis Te in hoc altissimo, amplissimoque dignitatis gradu collocavere. Deum igitur oro, obtestorque, ut Te totius Christiani Orbis felicitati quam diutissime incolumem servet, Teque Sanctissimos osculans pedes rursus mirum in modum deprecor, ut munusculum hoc Tuo inscriptum Nomine, quod pro summa erga Te mea observantia supplex nunc tibi offero, clementer excipias.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.

Philippus Archiepiscopus Theodosiæ Vicesgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Pal. Apostol. Magister.

ORA-



ORATIO.



Uum semper nos gaudere in Domino omnia divina eloquia exhortentur, hodie procul dubio ad spiritualem lætitiam copiosius incitamur ob præclarum in universa Ecclesia festum gloriosæ S. Petri Apostolorum principis Cathedræ, BEATISSIME PATER, in qua ipse Te nunc Pater luminum, & Deus totius consolationis æterno, ac peculiari cælestis sapientiæ consilio, divinaque Paracleti Spiritus providentia totius terrarum Orbis gloriæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ felicitati constituit. En hodie ut Ecclesia mater sancta, festiva, tota gaudens, & comta processit, induit se tunicam jucunditatis suæ, & sicut Sponsa imposuit sibi mitram, ac vario se composuit, & decoravit ornatu. Ut cælum stellis fulget, luminibus, & terra vernat floribus suis, & ut hortus producit germina sua, ita produxit lætitiam in conspectu omnium filiorum suorum. Votivis igitur laudibus celebremus hanc diem,

S. Leo serm. 8. in nativitate Domini f. 22.

Jac. 1.
2. Chor.

S. Petrus Chrysol. serm. 130. in consecratione Episcopi f. 117.

S. Bern. serm. 4. de triplici mansione f. 82.

diem, & festivis eam gaudiis honoremus. Recte namque Ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit. Ipsa enim hæc est gloriosissima Petri Cathedra vera, una, omnium prima, stabilis, perpetua, invicta, infallibilis, ac universalis. Vera, quia veræ fidei confessione fundata, una, quia uni Petro commissa, prima, quia primatus soli Petro datus, stabilis, quia supra firmam petram ædificata, perpetua, quia deficere non potest, invicta, quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam, infallibilis, quia Spiritu Sancto innixa, universalis tandem, quia a finibus usque ad fines extentam omnes ubique populi, barbaræque gentes summa reverentia, cultuque venerantur. Dignum est igitur, ut omni solemniori pompa B. Petrus stabile hoc Ecclesiæ fundamentum honoretur, omnesque magna lætitia affecti sacris nunc hymnis, ac canticis exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum.

Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus! Quis sapiens, & intelliget misericordias Domini? Ecce enim piscator homo, atque ignobilis mittens rete in mare factus repente est hominum piscator, Simon erat, & vocatus est Petrus, navem reliquit, & Ecclesiæ regimen assumsit. O nova, & admiranda rerum commutatio! qui sibi antea infirmus fuerat, fuit omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione negaverat, ceteros fidei stabilitate fundavit. Verum enim vero, quum omnes Apostolos Dominus, quid de se opinentur, interrogasset, tacet Simon, & respondentibus aliis adhuc tacet, quia non interrogatur suam, sed alienam sententiam; ut non loquatur os suum opera hominum: at quum audivit. Vos autem quem me esse dicitis? Statim ante omnes Petrus ille Apostolorum os, ubique fervens præsilit, & antevertit,

S. Aug. in appendice de diversis serm. 74.

S. Leo. S. Joan. Chrysost. S. Bernar. S. August. S. Ambr. & omnes Sancti Patres.

Joan. Chrysost. t. 2. f. 699.

S. Ambr. t. 1. f. 65. 7.

Matth. c. 16. 18.

Joan. Chrysost. t. 5. f. 1256.

S. Aug. loco supracitato.

Psalm. 106.

Psalm. 146.

Psalm. 105.

S. Jo. Chrys. t. 2. hom. 55 in cap. Matthæi 16. Marc. cap. 1. 16. 17. Joan. c. 1. 42.

Joan. Chrysost. t. 5. hom. in Sanctos Apostolos f. 1739.

Id. hom. de Pentecost. t. 3. f. 746.

S. Aug. t. 10. serm. 2. de Cathedra S. Petri f. 369.

S. Leo serm. 2. in nat. Apost. Petri, & Paulli.

S. Ambrosius t. 2. l. b. de Incarnationis Sacramento f. 710. 30.

Psalm. 16. 4.

Matth. 16. 15.

S. Jo: Chrysost. t. 2. in cap. Matth. 16. f. 1134

vertit, dicens. Tu es Christus filius Dei vivi. Nam ipsius tunc erat, fidem loqui, pietatem adserere, gratiam prædicare. O vera, atque admirabilis fidei confessio: tanta siquidem fuit, ut ipsum propterea Dominus beatum prædicaret: quia profecto non sicut ii, qui in navigio cum illo erant, neque sicut Nathanael ipsum Dei filium dixit, tamquam unum ex multis, sed verum, ac genuinum Patris filium, utpote ex ipsius substantia genitum confessus est; atque iccirco confessionis tam egregiæ merces Apostolici collegii principatus, & regendæ Ecclesiæ universæ ipsi demandata est a Christo Jesu provincia. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ex omnibus discipulis suis unum Christus Simonem prius nominatum Petrum appellat, quod se per Patris sui cælestis revelationem filium Dei esse cognoverit. Quamobrem & super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cælo inserenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget. Una igitur Ecclesia, & Cathedra una super petram Domini voce fundata est. Quare quum Petrus primatus dignitatem supra ceteros Apostolos, & universos Christi fideles, seu regimen Ecclesiæ universæ promeritus esset excellentia fidei, & fervore caritatis, primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur, ut qui primus fuit in Domini confessione, primus sit in Apostolica dignitate, & qui primatum egit confessionis, primatum habeat honoris, qui primatum fidei, primatum ordinis. Itaque Petrus Apostolorum princeps fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec fluminis impetu, nec ulla tempestate concutitur. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæ-

Matt. 16. 16.
S. Ambr. t. 2. loco citato.
Matth. 16. 17.
S. Joan. Chrysost. loco citato.
Nat. Alex. instit. Concionatorum p. 3. f. 633.
Matth. 16. 18.
S. Just. Mart. dial. cum Tryphone Judæo.
S. Cypr. de unitate Ecclesiæ f. 105.
S. Leo loco supra citat.
S. Cypr. Ep. 40. f. 120.
Nat. Alex. loco citato.
S. Cypr. de unitate Ecclesiæ f. 105.
S. Leo eodem loco.
S. Ambr. t. 2. f. 710. 32.
S. Hyero. lib. 1. adversus Pelagianos f. 271.
S. Leo serm. 2. f. 2.

retica umquam pravitas, nec pagana potuerit superare
S. Joan. Chrysost. t. 5. de non contemnenda Ecclesia Dei f. 1223. perfidia. Quid namque Ecclesia Dei potentius esse potest? quid fortius? quid gloriosius? Quam multi eam oppugnarunt, atque ipsi quidem oppugnatores perierunt; hæc vero supra cælum ascendit. Tanta siquidem magnitudine ipsa prædita est, ut, quum oppugnatur, vincat, quum appetitur insidiis, superet, quum afficitur injuria, splendidior evadat: soliditas enim illius
S. Leo loco citato. fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Quomodo enim fieri umquam poterit,
Id. serm. 2. in natali Apostolorum Petri, & Paulli. ut deficiat aliquando, si, quum diabolus Apostolos omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit? Simon, inquit Do-
Lucæ 22. 31. 32. minus, Simon, ecce Satanas expostulavit, ut vos cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quomodo fieri umquam poterit, ut
S. Joan. Chrysost. t. 2. homil. 55. in caput Matth. 16. pereat aliquando, si Dominus Ecclesiam per universum Orbem amplificatam cælo etiam ipso validiorem esse
Matth. 24. 35. polliceatur? Transibunt enim, inquit, cælum, & terra; verba autem mea non præteribunt. Quomodo fieri umquam poterit, ut destruatur aliquando, si portæ in-
Matth. 16. 18. feri non prævalebunt adversus eam? Facilius est, Solem
S. Joan. Chrysost. t. 1. hom. 4. de verbis Esaiæ. Id. t. 5. hom. de ipsius expulsione f. 227. extingui, quam Ecclesiam deleri. Ipsam vincere nulla vis poterit. Multi quidem fluctus, & undæ immanes, sed submergi non potest, quia supra petram stat: insaniat licet mare, petram non potest commovere: insurgant quantumlibet fluctus, navis Jesu obrui non
S. Petr. Chrysol. serm. 40. f. 37. potest. Ecce etenim oves ejus gentilium, velut prædonum diripiuntur incursu, mactandæ in carceribus, velut latronum clauduntur antris, a persecutoribus, quasi sævientibus lupis sine cessatione laniantur, ab hæreticis, quasi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur;

tur; & tamen gloriosius nunc fulget Ecclesia super splendorem Solis, & persecutores ejus perpetuis tenebris conteguntur. Hoc denique Apostolorum peremtus probat chorus, hoc Martyrum toto Orbe diffusus clamat sanguis, hoc Christianorum membra data bestiis, consumta ignibus, demersa fluminibus patenter demonstrant. At quid mirum, homines infirmos, tenerasque virgines tanta fuisse fidei constantia, invictaque fortitudine præditas, si a Spiritu Sancto, qui spiritus est fidei, & fortitudinis, ac habitabat in illis, ad tantam animi magnitudinem cælesti virtute excitabantur. Stabat Dominus quondam secus stagnum Genesareth, & vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem descenderant, & lavabant retia. Ascendens autem Jesus in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, & sedens docebat de navicula turbas. Hujus nunc Evangelici facti sapientiam admiremur. Ascendit quidem Dominus non in alterius Apostoli navim, sed in illam, quæ erat Simonis, ut hanc solam, veram, sanctam, ac universalem totius Ecclesiæ navim futuram esse præmonstraret. At cur rogavit eum Dominus, ut a terra illam reduceret pusillum? nonne poterat ipse, vel solo suæ voluntatis nutu sine Petri opera eam amovere? Poterat quidem, sed voluit sic nobis ostendere, ab ipso Petro universalem esse Ecclesiæ suæ navim gubernandam. Sed tandem, quare sedens de navicula turbas docebat? Ut cunctis significaret, Spiritum Sanctum altissimi donum Dei in Ecclesia semper esse; ipsa enim est mons ille, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ita, ut, quamvis Petrus sit Ecclesiæ rector, & caput, ipse tamen Spiritus veritatis in ea semper sit, in ea sedeat, in ea maneat, in ea denique ipse sit, qui loquatur, & doceat nos omnem veritatem. Ad hanc igitur Sedem cunctis adorandam

S. Joan. Chrysost. loco supracitato.

S. Petrus Chrysol. eodem loco.

S. Joan. Chrysost. t. 3. hom. de Spiritu Sancto f. 757.

Lucæ cap. 5. in principio.

In hymno.

Psalm. 67. 17.

Joan. 16. 13.

Can. 21. Synod. 8.

dam necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt ubique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio, in qua lumen Catholicæ, atque Apostolicæ fidei nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confoedatum immune, atque sincerum permansit, & cui soli datum est, tamquam ab excelso fidei tribunali de rebus ad salutem necessariis decernendo infallibili cælestis Sapientiæ consilio, atque auctoritate data sententia judicare. Hæc enim una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes, cujus unitatem qui non tenet, quonam modo tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, qua ratione in Ecclesia se esse confidit? Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Hoc autem Sole ipso, & meridiana luce clarius quis inficias ibit? En omnes totius Orbis Ecclesias Romanæ, ut capiti suo perpetuo adhæsisse, ejusque fidei participes esse gloriari, omnes Sancti Patres tum Græci, tum Latini, omnis ubique eadem, atque constans traditio, omnes Principes, atque Reges, omnia sacrosancta Concilia tum Oecumenica, tum nationalia, ipsi denique, quis hoc crederet? ipsi infensissimi Apostolicæ Sedis hostes id nobis hæretici vel inviti ultro concedunt, ac confitentur. O præclara ergo, ac summa nostræ Romanæ Ecclesiæ dignitas! O gloriosissima B. Petri Apostolorum Principis Cathedra! quam doctrina munitam, traditionibus locupletatam, meritis illustratam, dotibus auctam idem Apostolus etiam sanguine consecravit.

S. Irenæus lib. 3. c. 3.

In Epist. quæ extat act. 4. Syn. 6.

Rupertus Tuitiensis lib. 2. de divinis officiis cap. 22.

Tertul. de præscript. f. 76.

S. Cypr. lib. de unitate Ecclesiæ.

S. Hieron. Epist. 57. ad Damasum. S. Bern. ep. 125. & al. Anselm. l. 1. de Incarn. Verbi. Cyril. l. 6. c. 12. Dion. Alex. Orig. Atha. Ep. ad Marcum Pap. Opt. l. 1. in Parmen. &c. Valētin. Ep. ad Theod. Jun. Martian. imp. ad Leon. Pap. Justinian. imp. cōst. nov. 131. &c. Conc. Rom. sub Silvestro Can. 20. Cōc. Chal. act. 1. Conc. Rom. sub Gelasio Conc. 4. Aurel. Conc. Lateran. sess. 9. Conc. Nic. Can. 6. Conc. Trid. sess. 7. cap. 3. &c. Bucerus in præparat. ad Conc. Calv. Inst. c. 8. Luther. in act. Luth. 7.

S. Irenæus lib. 3. cap. 3. in Martyrologio Baronii 15. Cal. Februar.